Zu der

Freitags, den 26sten März 1847,

mit

den vier Classen des hiesigen Gymnasiums

anzustellenden

öffentlichen Prüfung

ladet durch dieses

PROGRAMM

hochachtungsvoll und ergebenst ein

der

Director und Professor

C. H. Müller.

Inhalt:

Blankenburg,
gedruckt bei Wilhelm Kircher.

47

Emendationes Ovidianae.

Satis constat, non paucos Metamorphoseon Ovidii locos librariorum insciorum in libris describendis negligentia atque vehementissimo poetae explicandi, supplendi et emendandi studio ita corruptos esse, ut viri docti de restituenda eorum integritate desperent. Maxime dolendum est, Nicolaum Heinsium, qui in adornanda altera sua librorum Ovidianorum editione circiter centum et quinquaginta codicum lectiones sibi paraverat, munere suo non ea, qua debebat, diligentia, sed audaci et temeraria critica defunctum esse, praesertim cum optimi codices ab eo adhibiti in bibliothecis exteris serventur, ita ut editoribus in Germania degentibus non facile pateant. Qua de re queritur J. C. Jahn, doctissimus et sagacissimus librorum Ovidianorum editor in prooemio editioni suae criticae praemisso, (Lips. 1832.) eamque querelam repetit novissimus et de poeta optime meritus editor Vitus Loers. (Lips. 1843.) Neque ulli posteriorum editorum rara illa tam magnae et egregiae supellectilis criticae in usum Ovidii adhibendae copia rursus facta est. Multi igitur loci meliorum codicum medela egent. Qua adhuc destituti vel novam interpretandi ra-

tionem vel conjecturarum opem requirunt. Jam cum Metamorphosium libros cum discipulis legens in nonnullos ejus generis locos incidissem, quos vel conjecturando vel aliter interpretando explanare studebam: hujus programmatis auctor usus sum occasione, de paucis iisque saepissime tractatis locis quid sentirem, judicio virorum doctorum proponendi, qui hanc scriptionem benevoli accipiant, memores dicti Horatiani: Si quid novisti rectius istis, candidus imperti: si non, his utere mecum.

Scr. Blancoburgi Cal. Mart.
MDCCCXLVII.

Metamorphos. VI. 197—203.

»Fingite demi
Huic aliquid populo natorum posse meorum,
Non tamen ad numerum redigar spoliata duorum.
Ile sacris, properate sacris, laurumque capillis
Ponite.« Deponunt et sacra infecta relinquunt,
Quodque licet, tacito venerantur murmure numen.
[*Latonae. Turba quae quantum distat ab orba?*]

Sic locus Ovidianus in editionibus Jahnii et Loersii editus est. Cum uterque liber magnam criticam, quae ad versum *Latonae - orba* attinet, supellectilem habeat, docti lectores illos libros evolvant, ne jam bis edita in his chartis repetantur. Jahn, quem Loers secutus est, versum *Latonae-orba* uncis inclusit spurium esse censens, cum libri in ejus lectione magnopere varient, totus versus sententiarum nexum mirifice turbet et in codicibus incertam sedem habeat. Sed virorum doctissimorum auctoritate non commoveor, ut iis assentiar. Nam omnes codices hunc versum exhibent, omnes vocab *turba* agnoscunt, quamquam versus in codicibus incertam sedem habet. Accedit, quod v. 212 Latona dicit: *et me orbam dixit,* (Niobe) quae verba aliena et inepta essent, si versus *Latonae-orba* e textu, qui dicitur, tolleretur. Equidem non dubito, quin

versus sit genuinus, non autem post v. 202 ut in plurimis codicibus et editionibus Jahnii et Loersii, sed post versum 199 *Non-duorum* sedem habeat ut in nonnullis codd. Atque in uno quidem Strozziano locum post v. 202 *quodque-numen* obtinet, sed signo notatum est, eum post versum 199 esse collocandum. Etiam editores recentiores omnes fere cum Gronovio Observat. IV 15 et Heinsio eum post v. 199 collocarunt. Versum illum censeo depravatum esse a librariis, qui sententia ejus non intellecta vario modo verba scripserint. Permagna est lectionum varietas, de qua conferatur editio Jahnii. Plurimi iique meliores codices exhibent: *Latonae. turba quae quantum distat ab orba*, nisi quod Parisiensis 2 post *turba* incidit, in aliis pro *turba* legitur *turbae*. Variis recentiorum editorum emendationibus, quae plurimae exstant, omissis, ego jam pridem conjeci, Ovidium scripsisse:

Non tamen ad numerum redigar spoliata duorum,
Latonae turbam. Quae quantum distat ab orba?

Quam conjecturam etiam Withof (in libro: Kritische Anmerkungen über Horaz ꝛc. III. p. 83), quod posthac ex Jahnii libro cognovi, proposuit. Ipsa illa scripturae (*turba et turbae*) varietas significat, vocabulum vel inscientia vel negligentia librariorum corruptum esse, quod facile fieri potuit, cum satis constet, in codd. et antiquissimis libris editis literam *m* in fine verborum saepe omissam et lineola notatam esse. Conjectura quam proposui recepta, sententiarum ordo non turbatur, *populo natorum meorum* opponitur *turba Latonae*, atque insolentia, qua Niobe numerum duorum apposita Latonae turba irridet, augetur; neque verba v. 212 »et me *orbam* dixit,« quidquam offensionis habent. Voc. *quae* non ad vocabl. *turbam*, sed ad ipsam *Latonam* referendum est, ut sententia nostro sermone interpretanda sit: Nehmet an, daß dieser Menge meiner Kinder etwas genommen werden könne, dennoch werde ich nicht, wenn auch beraubt, gebracht werden auf die Zahl von zweien, der Latona Schaar. Welch großer Unterschied ist zwischen ihr und einer Kinderlosen? *Quantum* igitur relationis vi pro *quantulum* positum est, ut saepe a scriptoribus usurpatur ut a Cicer. Somn. Scip. VII. Vocabulo autem *turba* Ovidius Metamorph. I. 355 (»Terrarum nos duo turba

sumus«) eodem sensu de exiguo hominum numero usus est. — Si quaeris, quo modo factum sit, ut versus ille in multis codd. post v. 202 sedem habeat, librarium aliquem conjicio post voc. *numen*, quod explicare vellet, vocab. *Latonae* scripsisse, et ea re posteriorem aliquem librarium somniculosum esse inductum, ut versum illum *Latonae-orba*, qui eodem vocab. *Latonae* incipit, hic rescriberet. Ita sedes versus in codd. incerta facta esse videtur. — Lenzius vulgarem scripturam (*Latonae. turba quae quantum distat ab orba*) amplexus ita explicavit: »quam parum distat Latona a turba orba i. e. a conjugibus prole carentibus.« Sed *orba turba* hoc sensu non Latine dici videtur, neque hac interpretatione ratio verborum v. 212 *et me orbam dixit*, est habita.

Post versum *Latonae-orba* editiones Vincentina, Coloniensis, Micyliana et Bersmanniana spurium habent versum: *Tantum animosa sui furiis agitata doloris*, quem praeterea nonnulli Naugerii libri et margo Basiliensis agnoscunt. In codice Sulmonensi 2 inverso ordine scriptum est: *Tantum animosa sui stimulis agitata doloris Latonae, qnantum turba distabat ab orba*; sed ad marginem prioris versus notatum est: *vacat*, quo significatum, versum in aliis deesse. Abest autem hic versus ab omnibus iisque optimis codicibus (cf. ed. Jahnii h. l.), itaque recte ab editoribus omissus est. Verisimile est, librarium aliquem hunc versum a se ipso conglutinatum post versum *Latonae-orba* in margine adscripsisse, ut saevitiam Latonae reprehenderet, quae mox v. 206 *vobis animosa creatis* dicitur, atque inepti versificatoris animo obversatos esse locos, quales sunt in Ciceronis orat. pro Roscio Amer. cap. 24 »sua quemque fraus et suus terror maxime vexat, suum quemque scelus agitat amentiaque afficit,« et Virgil. Aen. III. 331. »Scelerum furiis agitatus Orestes.« Etiam versus 200, quem libri vulgo sic exhibent:

Ite sacris, properate sacris laurumque capillis in codicibus non integer relictus est. Nam multi codices et editio princeps exhibent: *ite satis propere sacris*, e quibus nonnulli post *propere* distinguunt. Lips. 2: *ite satis propere satis.* Dresdensis: *ite satis propere laurum sacrisque capillis.* Berolinensis: *ite satis properate sacris* l. c. In Florentino et

Neapolitano pro *propere* videbatur *properate* fuisse, ut est in Medic. 4, uno Gron. et uno Voss. Unus Heinsian., Paris 1, 2 et edd. Venn., Ald., Arg., et Vinc.: *ite sacris propere sacris l. c.* In hac lectionum discrepantia difficile est dictu, quae genuina sit scriptura. Loers cum paucis codicibus vulgatam dedit: *Ite sacris, properate sacris* ic. Nonnulli editores ad conjecturas confugerunt, e quibus mihi maxime placet Jahnii: *ite sacris, propere ite sacris,* quod et ad librorum scripturam proxime accedit, et repetitio verbi *ite*, cum properandi notione conjuncti, vim orationis magis quam voc. *properate* auget. Persimilis est repetitio verbi *ite* apud Ovid. Metamorph. III. 562. »Ite citi-famulis hoc imperat (Pentheus)-ite ducemque.« Sed adverbio *propere*, quod pedestris orationis colorem habet, praetulerim adjectivum *properae*, (scl. Thebaides cf. 163) quo poeta usus est etiam Metamorph. VII. 647. »Ecce venit Telamon properus,« ubi codex Sulm. eandem scripturam *propere* exhibet. E scriptura *properae ite* facile variae lectiones *propere*, *properate*, *properete* oriri potuerunt negligentia librariorum, quorum nonnulli cum vim repetiti nominis *sacris* non animadvertissent, ineptum illud *satis* receperunt.

Metamorphos. VI. 280 — 285.

Hi versus, de quibus, quod ad criticam supellectilem attinet, cf. edit. Jahn. et Loers., in multis codicibus et editione principe ita leguntur:

Pascere, crudelis, nostro, Latona, dolore,
Pascere, ait, satiaque meo tua pectora luctu,
Corque ferum satia, dixit, per funera septem
Dum pars nostra jacet et dum per funera septem
Efferor: exsulta victrixque inimica triumpha!

Versus: *dum pars nostra jacet et dum per funera septem*, a multis codicibus et veteribus editionibus excepta principe omnibus abest, cumque ad sensum ineptus sit, cum ab aliis editoribus recentioribus tum a Jahnio et Loersio omissus est. Versus: *Corque ferum satia, dixit, per funera*

septem in Palatino I. omissus est, in Palat. 2 transverso calamo notatus et in Paris. 2 in margine tantum scriptus. Jahnii de loco nostro haec est sententia: »Apparet eum ab interpolatoribus vexatum esse, qui e gemino loco Metamorph. IX. 176 sqq. haec suis additamentis cumularunt. Praeter versum *dum pars nostra jacet* etc. etiam e versibus *Pascere, ait* etc. et *Corque ferum satia* etc. alteruter delendus est. Secundum codices ejiciendus versus *Corque ferum* etc., quod Heinsius et Schraderus suaserunt, quibus tamen obstat, quod verba *per funera septem* ad loci sententiam absolvendam necessaria esse videntur.« Loers autem utrumque versum censens esse Ovidianum annotavit: »versus *Corque ferum* etc. qui praeter quod codicum consensu confirmatur, mihi etiam ad sensum aptissimus esse videtur. Continet enim gradationem huic affectui satis aptam. Primum v. 280 dicit: *pascere-nostro-dolore*. Jam cum repetitione gravius illud exponit: *pascere, ait, satiaque meo tua pectora luctu*. Jam illa *satia tua pectora, ferum* ad augendum addens, repetit *corque ferum satia*. Atque ex eodem affectu repetitum est illud *dixit* pro *ait*. Verum quidem est, ita quinquies fere idem dici atque urgeri. At quoties Ovidius nimius est! cf. IX. 176. 177.« — Ego poetam ita scripsisse censeo:

Pascere, crudelis, nostro, Latona, dolore,
Pascere, ait, satiaque meo tua pectora luctu —
Efferor - exsulta victrixque inimica triumpha!

Versum igitur *Pascere ait*, etc., quem omnes codices tuentur, genuinum esse statuo, versum autem *Corque ferum* etc., nonnullorum codicum auctoritate suspectum, interpolatoribus originem debere. Quam sententiam praeter codicum indicium maxime ipsum orationis genus colorque commendare videtur. Nam versus *Pascere, ait* etc. Ovidiana venustate compositus gradationem animo Niobae vehementer commoto aptissimam continet, quod ad illud *pascere nostro dolore* cum repetitione hujus verbi accedit nova eaque gravior notio *satiaque meo tua pectora luctu*. Versus autem *Corque ferum satia! dixit* etc. hanc gradationem non adjuvat, quod neque notio *cor ferum*, quae jam in superiori voc. *crudelis* inest, neque repetitum voc. *satia* aliquid novi addit, atque illud *dixit* post *ait* frigidum

est. Nam verbum *dixit* nihil ad augendam ipsius orationis vim valet, sed interpositum est ad *indicandam* orationem, quae modo verbo *ait* indicata est. Versus *Corque ferum* etc. additamentum interpolatoris esse videtur, qui verbum *efferor* explicatione egere opinabatur, quam verbis *per funera septem* expressit; jam ut haec verba in hexametri formam redigeret, ex libro IX. 168 illud *corque ferum satia* assumpsit et frigidum illud *dixit* ad versum absolvendum interposuit. Alius librarius, cui haec Ovidianis verbis versum explendi ratio displicebat, memor v. 192 (»uteri *pars* haec est septima nostri«) margini adscripsisse videtur ineptum illum a se compositum hexametrum: *Dum pars nostra jacet et dum per funera septem;* qui in codices non paucos irrepsit. Sed illud *efferor* (de mortuo dictum, qui ad sepulturam effertur, hinc pro *perii.* Loers) graviter summum dolorem exprimit reginae querentis, se miserrimam jacturae filiorum et luctui suo jam non superstitem fore. Gravitas exclamationis *efferor*, quae cum interclusionis signis ponenda est, additamento illo *per funera septem* minuitur, omissis autem his verbis ipsa brevitate loquendi mirum in modum augetur. Ita etiam ipsa gradatio *pascere - satia - exsulta - triumpha*, versu *corque ferum* etc. omisso, gravius animum movet. — Neque cum Jahnio et aliis interpretibus contenderim, verba *per funera septem* ad loci sententiam absolvendam necessaria esse videri, cum solum verbum *efferor* non modo de mortuis ad sepulturam efferendis a scriptoribus proprie dictum sit, sed etiam ut nostro loco sensu translato latiorem *pereundi* notionem exprimat, ut apud Liv. XXIII. 28. »Meo unius funere elata populi Romani esset respublica,« ut nostro sermone zu Grabe getragen werden, praesertim cum apud Ovidium modo de mortuis sermo fuerit. Si quis autem de hac significatione verbi *efferor* nostro loco dubitet, nescio an verbum *efferor*, cum verba *nostro dolore* et *meo luctu* praecedant, de animo dolore et luctu vehementer moto dictum sit, quam vim voc. *efferri* etiam in aliis locis habet, ut Cic. Harusp. II. »Qui dolore me elatum etc. arbitrabantur.« Hac verbi vi non perspecta, ejus explicandi causa interpolatores illos duo versus *Corque ferum* etc. et *Dum pars nostra* etc. addidisse videntur.

Metamorphos. VII. 501 et 502.

Postquam congressu primo sua verba tulerunt
Cecropidae, Cephalus peragit mandata rogatque.

Ita Jahn hos versus e nonnullorum codicum auctoritate edidit. Loers scripturam longe plurimorum codicum et veterum editionum secutus:

Postquam congressi primo sua verba tulerunt
Cecropidae, Cephalus peragit mandata rogatque.

De variis lectionibus cf. utraque editio. Omnes codices tuentur *Cecropidae*. Heinsius autem audaci mutatione nec satis perspicua edidit:

Postquam congressus primi sua verba tulerunt,
Cecropidum Cephalus etc.

Quem secutus est Gierig in secunda ed. et annotavit: »*sua* verba, in ea re solennia. *Congressus* dixit pro congredientibus; *tulerunt* i. e. protulerunt.« Putat igitur verba *congressus primi* casu primo numeri pluralis posita esse. — Mihi ea ratio, qua Loers hos versus edidit et explicavit, probatur; sed post *tulerunt* interpungo, et *Cecropidae* censeo casu secundo positum esse pro *Aegei regis* (cf. 454) a Cecrope oriundi (ut Theseus VIII. 550 Cecropides nominatur), cum voc. *mandata* jungendum, praesertim cum nomen ejus, a quo mandata erant data, desideretur cf. VII. 491 »patriae mandata.« *Sua* verba opposita sunt *Cecropidae* mandatis. Sensum loci hunc esse statuo: Postquam Cephalus, Clytos et Butes (v. 500) cum Aeaco rege congressi primo *sua* verba, quae ipsi, suo nomine, habebant dicere, sc. salutem et similia, tulerunt, i. e. protulerunt (ut saepe usurpatur): Cephalus Aegei mandata peragit. Nostro sermone verto: Sobald sie zusammengekommen zuerst, was sie für sich selbst zu sagen hatten, vorgebracht haben, vollzieht C. die Aufträge des Cecropiden.

Metamorphos. XIII. 332 et 333.

Te tamen aggrediar mecumque reducere nitar,
Utque tui mihi, sic fiat tibi copia nostri.

Hi versus in oratione, quam Ulysses certamine de Achillis armis exorto habet, leguntur atque omnes editores vexarunt. Priusquam sententiam meam de corruptis versibus proponam, ex longa Jahnii annotatione critica (pag. 836 et 837) excerpenda videntur, quae ad criticam meam rationem intelligendam pertinent. De horum versuum ordine codices fluctuant, quorum alteri habent ordinem: *Te tamen* etc., *Utque tui* etc., alteri inverso ordine *Utque tui* etc., *Te tamen* etc. Versus *Te tamen* in nonnullis codicibus omissus atque in duobus tantum in margine a recentiore manu scriptus est. In Palatino I. inter lineas erat scriptum *Te tamen aggrediar*, reliquis verbis omissis. Versus *Utque tui* in uno Vatic. Ciofani codice deest. Pro verbis *mecumque reducere nitar* in Rhen. *mecum te ducere nitar*, in fragm. Boxb. et Jun. *castrisque reducere nitar*, in cod. Beram. *nec inultus forte relinquam*, in nonnullis codd. *longe formidine pulsa* (in uno: *versa*), in sex Heinsii codd. *sollerti pectore fidus*, in aliis aliter scriptum est. In altero versu pro vulgata lectione exhibent multi Heinsii codices et alii: *mihi sit· fiat tibi*; Dresd. et Vrat: *mihi fit· fiat tibi*; unus Bas.: *mihi sit· sic sit tibi*; editio Ven.: *copia nostrum*. Versum *Utque tui* etc. Heinsius aut valde depravatum aut adulterinum esse putavit. Idem versus prioris verba *mecumque reducere nitar* ab Ovidio scripta esse negavit annotavitque: »Non dubito hunc et plures ab Ovidio versus relictos imperfectos, quos scioli postea suppleverint, ut et apud Virgilium frequenter est factum. Quid enim aliud sibi vult immensa lectionum discrepantia in posteriori hemistichio?« Heinsium Burmannus, Gierig, Mitscherlich, Baumgarten-Crusius et Bach secuti sunt. Gierig autem judicat parum credibile esse, fecundum Ovidii ingenium, tam verba quam sententias saepenumero temere profundens et cumulans, versus reliquisse imperfectos; potius censet posteriorem hujus versus partem in antiquissimo codice, unde reliqui descripti sint, fuisse deletam, hinc librarios, pro suo quemque ingenio, lacunam explesse. Ex his igitur supplementis, cum nesciamus, quid Ovidius scripserit, licere eligere, quod cuique lectori prae caeteris probetur. Jahn de duobus his versibus censet: »Non ita fluctuarent interpretum sententiae, si Heinsius nomina et lectiones

codicum suorum accuratius annotasset. Versus 332 *Te tamen* etc. ad totam loci sententiam explendam necessarius est; de versu 333 autem *Utque tui* etc., qui jejunus et ineptus est, judicium fluctuabit, donec compertum habebimus, num praeter codicem Vaticanum etiam alii iique boni codices eum omittant. Certe eum spurium esse admodum probabile est.« Hanc sententiam Loers amplexus est adnotans: quod ad varietates versus *Utque tui* etc. attinet, hoc loco accidisse videtur, quod persaepe, ut una corruptela alias genuerit. — Jam proferam, quid ego de his duobus versibus sentiam. Ajax in oratione sua Ulyxi crimini verterat expositum in insula Lemno Philoctetam, »qui nunc, ut memorant, silvestribus abditus antris, saxa moves gemitu Laertiadaeque precaris, quae meruit,« lib. XIII. 46 sqq. Jam Ulysses v. 313 sqq. consilium suum de Philocteta in insula exponendo et nunc cum Herculis sagittis Trojam ducendo defendit, contemtis miseri exsecrationibus et minis (v. 328 sqq.):

Sis licet infestus sociis regique mihique,
Dure Philectote, licet exsecrere meumque
Devoveris sine fine caput, cupiasque dolenti
Me tibi forte dari nostrumque haurire cruorem:

Tum sequuntur vexati illi duo versus *Te tamen* et *Utque tui*, qui, quod ego videam, conflati esse videntur ex uno eoque ita restituendo:

Te tamen aggrediar — sic fit tibi copia nostri —
Tamque tuis etc.,

ita ut verba *sic - nostri* parenthesi ponantur. Ulysses, cui potissimum munus Philoctetam Ilium deducendi contigerat, se ad rem agendam paratum profitetur, glorians tantum abesse ut minas Philoctetae metuat, ut ipse eum aggredi (adire) atque ei (minato, sanguinem adversarii, cum in manus suas incidisset, se hausturum esse) copiam sui i. e. potestatem sui capiendi dare cogitet, neque dubitet, quin Philocteta et sagittis potiatur. Hac emendandi ratione neque verbis poetae vis infertur et sententia ordini rerum accommodatissima efficitur. Jam exponendum est, quo modo librarii ad duos ex uno versus faciendos et congerie illa interpretamentorum explendos pervenisse videantur. Librarius aliquis

nasutus, verba »sic fit tibi copia nostri« explicatione egere ratus, in margine *praescripsit* verba: *utque tui mihi*, ut interpretationem exprimeret hanc; ego (Ulysses) te tamen aggrediar (conveniam) atque, cum congressi erimus, par occasio conditioque dabitur, ut et ego te et tu me potiri possis, sed tam certo confidam, me tunc victorem evasurum esse, quam Heleno potitus sum (v. 334 *Tamque tuis* etc.). Negligentia posterioris alicujus librarii inscii, qui hoc interpretamentum priorem esse versus partem opinabatur, id verbis Ovidianis: *sic fit tibi copia nostri*, ita praescripsit, ut ineptus existeret et Ovidiana venustate numerisque carens versus: *Utque tui mihi*, *sic fiat tibi copia nostri*. Jam fieri non potuit, quin, verbis *Te tamen aggrediar* posteriori hexametri parte destitutis, librarii ad diversissimas lacunae ingenio suo explendae rationes, quae supra commemoratae sunt, stimularentur et provocarentur. Sic facile intelligetur, quo modo factum sit, ut in codicibus diversus versuum ordo et magna lectionum varietas et in posteriori hemistichio versus 332 et in media parte versus 333 reperiatur, versus 332 in nonnullis codicibus omissus, in duobus in margine a recentiore manu scriptus, in Palatino I. inter lineas sola verba *Te tamen aggrediar*, reliquis verbis omissis, scripta sint, versus autem 333 totus in uno Ciofani codice desit.

Caeterum veri simile est, Planudem, Graecum Metamorphoseon interpretem, in hoc loco interpretando (Graeca verba, hic omissa, lectores docti in ed. Jahn. legant) similem expressisse locum Ovidianum Metamorph. XIII. 863 »modo copia detur, Sentiet esse mihi tanto pro corpore vires.« Sed errat interpres, cum nostro loco Ulysses non corporis viribus, sed ingenio et prudentia sua fretus glorietur: »Te tamen aggrediar — sic fit tibi copia nostri — Tamque tuis potiar« etc.
